

Ph 1. 292.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA:

NATURA PHYSICÆ, EJUSQUE
PRINCIPIIS INTERNIS,

Quam

DUCE ET AVSPICE CHRISTO.

PRÆSIDE VIRO

Clarissimo atque Excellentissimo:

DN. JOH. CONRADO

Schragmüllern / GRUNSTÄTO-PA-
LATINO SS. THEOLOGIÆ DOCTORE ET IN
Inclyta ac Celeberrima hâc Marpurgensi Acade-
mia Physices Professore ordinario, &c. Dn.

Præceptore, Promotore ac Fautore suo
æternum colendo.

Pro consequendis Magisterii insignibus, agq. privilegiis omnibus
ac singulis Philosophicæ cultoribus publicè in auditorio Philosophico ad
diem 3. Decembri ventilandam ac examinandam
subjicit.

PHILIPPUS CHRISTIANUS WERNERUS,
Berstadensis Wetteravius.



MARPURGI HESSORUM,

Typis Simonis Zachmanni, Anno
Mars In TeVtonICIs qVº DVrVs s̄xVIIt arVIa.

1692

VIRIS

Reverendis atque Clarissimis:

DN. M. BALTHASARI WERNERO,
DN. M. PHILIPPO DIPPELIO,
DN. M. BALTHASARI MOLITORI,

Pastoribus
Vigilantif-
simis.

VT ET


Prudentissimis & Spectatissimis,

DN. WILHELMO KRUGIO, Questori in Arce Blan-
kenstein dignissimo.

DN. HERMANNO Rüdingern! Collectori apud Berstadenses
solertissimo.

Fratri, Affinibus & Fauoribus summo honoris & obser-
vantia cultu aviternum colendus

Hanc Disputationem gradualem in humilitatis signum
& gratitudinis тауμένος dicat, dedicas offert.



P. C. W. Auth. & Resp.





Σὺν Βοητίας Θεῖς προσίμιον.

Non facile aliquis in arcem aliquam ex omni parte, omnibusque modis bene munitam, perlustrandi gratiâ intrabit, quin januâ ejus reclusâ, à janitore, cui traditæ claves sunt, plenaria intrandi potestas conederetur, nisi sine discretione, & modo fraudulentio se in illam irreperere vellet. Sic haud facile ille laudabile, eximum & difficile Physicæ studium addiscet, inq; ejus cognitionem tardius deveniet, quin prius definitiōnem Physicæ commodam, quæ, ut omnium disciplinarum, ita etiam Physicæ clavis certissima & infallibilis est, seligat & arripiat, quâ duce postmodum via idonea corporibus naturalibus contemplandis sternitur; nisi cum plebejo homine imprudenter dicere vellet: Quid tot dies, totq; annos in hac Physicarum rerum contemplatione consumere juvat? Quid huic studio tantum temporis

inhærere ac immorari prodest? Cum cœlum, & corpora naturalia alia, eorumq; contemplatio natura innotescant: Verum quidem hoc, sed vulgarimodo & opinione, quæ sapissimè erroris magistra: Siquidem vulgus externas tantùm rerum formas, quas miratur, intuetur, rerumq; ignarus imagine gaudet (ut Virgilius loquitur) sed interiora rerum non penetrat, carumq; causas & affectiones non investigat. Quod mecum considerans, utilissimum & tutissimum esse duxi, definitionem Physicæ explicare, & principia ejus indagare: Cui meo cæpto atq; proposito, ut faustum initium, felicem progressum, atq; optatum finem sortiatur, faveat S S. Trinitas.

THESES I.

CUm definitio essentiam rei explicit, quid sit, significet, unam disciplinam ab alia distinguat, & unicuiq; proprium suum, non secus, ut agrorum fines agros definunt & claudunt, tribuat, operæ prætium esse censeo, ut si ne ulteriore verborum ambage ad illam me accingam.

2. Attendum autem est, definitionem esse vel nominis, vel rei: Illa notatio: Hæc verò ipsa rei natura vel quidditas appellari consuevit.

3. Ad: ἀπομονώσια vel definitionem nominis Physicæ, methodicè & secundùm ordinem progrediendo, sunt consideranda, 1. ἀπομονώσια. 2. συναντησια. 3. δραστηρια.

4. Ad

4. Ad Etymologiam quod attinet, dicitur *Physica* ἐπονής φύσεως, hoc est, à natura sic dicta, quasi scilicet scientia naturæ, ubi naturæ vocabulum metonymicè sumitur pro re sive corpore, quod naturâ præditum est.

5. Quod verò attinet synonymiam, *Physica*, dicitur talis, κατ' ἕξην quia circa ea potissimum occupatur, quæ habent principium motus & quietis; Appellatur etiam *Philosophia naturalis*, *Physiologia*, quasi de natura sermo vel naturæ ratio; Nonnunquam etiam *Philosophia secunda*, eò quòd inferior sit & posterior Philosophiæ parte alterâ, quæ prima dicitur, nimirum *Metaphysica*, quæ de substantiis divinis atque immortalibus tractat.

6. Cùm Homonymia sive ambiguitas mater sit omnis erroris, juxta illud: *Erroris genitrix est equivocatio semper*; Et nisi vox hæc ab istis spinosis significatibus liberetur & distinctè proponatur, in profundissimas ignorantiae tenebras aliquis incidere possit, ideo etiam hæc vox explicanda, & hujus loci significatio ponenda erit.

7. Sicut verò vox *natura* triplicem sustinet significatum: 1. Sumitur *late*, pro cuiusvis rei essentia. 2. Itidem *impropriè* pro eo, quod cum aliqua renascitur, euam si sit malum. 3. *Propriè* accipitur pro materia & forma corporis naturalis; Sic & vox *Physica* sive *naturalis* tripliciter lumen tur; verum ultima hic valer significatio, quatenus ea tractat illa scientia, quæ motui & quieti obnoxia sunt.

8. Dicitur autem *Physica*, ut dictum, etiam *Philosophia naturalis* & sic accipitur vel *complexè* vel *incomplexè*; Si *complexè*, turn non tantum sciencias speculativas, verum etiam practicas, nechabitus duntaxat principales, sed etiam instrumentales nec hos solum, sed præterea omne, quod humanâ ratione ac industriâ inventum est; Si *incom-*

plexè, tum iterum dupliciter sumitur, vel latè; Et sic omnes scientias speculativas; Mathesin, Metaphysicam & Physicam specialiter sic dictam; vel strictè; Ettum eam scientiam, tantùm complectitur, quæ de corpore naturali agit; quæ significatio tangit scopum nostrum. Et tantum de

9. Nunc sequitur *περιμετροια* vel definitio rei; ubi iterum duo consideranda veniunt, 1. genus, quod cum aliis disciplinis commune habet, 2. Objectum, per quod tanquam per differentiam restringitur, & ab aliis distinguitur.

10. Antequam autem definitionis partes examinem, ipsam definitionem præliminiò, ut Aristoteles lib. 5. Metaph. c. 1. ejusque interpres definiunt, quibusq; pleriq; moderni Physici suum subscribunt calculum, ponam, quæ talis; *Physica est scientia corporis naturalis, quatenus natura-
le est.*

11. Genus Physicæ à modernis, ut & à quibusdam veteribus hujus disciplinæ tum cultoribus, tum scriptoribus constitutum fuit *scientia*, quibus & ego subscribo.

12. Sciendum tamen quinque esse principales habitus, ex quibus tres non *οντομηνος*, tanquam genus de sua specie prædicari, extra omnem dubitationis aleam possum est.

13. Verùm de quarto, qui ars indigitatur, discep-
tratum fuit. Habet autem & hæc opinio suos cultores &
assentatores, veruntamen quo probationis fundamento
nitantur, & quibus rationibus hæc opinio fulciatur, non
video: Arsenim 6. Ethic. cap. 4. ab Arist. definitur *habitus*
cum rectaratione effectivus: Quà ratione huic disciplinæ ac-
commodari nequit, cum scientia Physica tantum verse-
tur circa corpora naturalia, ea contemplando.

14. Quam-

5

14. Quamvis autem vox artis etiam alios admittat significatus, verum nec in hoc negotio valent quicquam, non enim per hos vox, ars, de hac disciplina prædicatur generice vel per modum generis, sed vulgariter: cum præterea etiam in quavis disciplina sit genus proximum & propinquius collocandum. Et tantum dictum esto de genere.

15. De objecto hujus disciplinæ haud male & incommode jactatur illud: Quot capita, tot sensus: Quot enim authores & scriptores Physici extitere, tot ferè de hoc ad nos relatæ sunt opiniones, quarum quædam verbis tantum discrepant, sensu vero eadem sunt; quædam sensu & verbis discrepant, de quibus videndum erit.

16. Sunt vero triplicis ordinis harum opinionum assertores, vel enim peccant in excessu, vel in defectu, vel veram sententiam tuentur.

17. Illius ordinis, qui in excessu peccant, sunt i. illi, qui objectum Physicæ *ens mobile* constituere dicentes, palam professi sunt, se id sumere ut latius patens, quam corpus mobile; Et hi defendere conati sunt opinionem Thomæ, qui in Proœmio physico videtur afferere subjectum Physicæ esse *ens mobile*, quam opinionem tamen in proœmio suo super lib. de cœlo retractavit, & pro ente mobili posuit corpus mobile.

18. Alii vero hujus ordinis statuunt substantiam naturalem ut Scotistæ: Et stabiliri suam opinionem putant ex Arist. 6. Metaph. cap. i. tit. 3. ubi Aristotelem id aperte significare afferunt: verum nec hæc opinio placet & sapit palato meo.

19. Alterius ordinis qui in defectu peccant, sunt, qui subjectum Physicæ corpus quatenus generationi & inter*ritui*

ritui obnoxium est, esse ajunt: Et hi considerant cœlum, non ut speciem subjecti sed ut subjecti principium.

20. Alii corpus mistum statuunt: secundum quam opinionem itidem cœlum, ut & elementa considerantur, non ut species corporis naturalis, sed ut principia ejus.

21. Alii verò substantiam sensibilem, moti verbis Averrois, qui subiectum huius disciplinæ nō aliud esse ait, quām res sensibiles; verum qui hanc opinionem fovent, rationemque formalem subiecti rō sensibile esse dicunt, dicant quoq; oportet accidentia per se tractari in Physica, substantias verò per accidens, quia esse sensibile per se cōvenit accidentibus, substantiis per accidens.

22. Quamvis verò prioris opinionis astipulatores, eam defendere possint, & si sano sensu verba illa sumant, eandemq; rem consideratam, & eundem modum considerandi dicant, notantes videlicet per rō mobile internum principium motus, & per rō naturale id, quod in se habet naturam, hoc est, internam quandam propensionem ad recipiendum motum, rectius tamen est dicere corpus, quām substantiam, velens, propterea, quia modulus considerandi inscientiis contemplativis debet esse æ qualis rei consideratæ.

23. Denique igitur veram sententiam amplectentes, constituunt subjectum Physicæ corpus naturale, quatenus naturale Arist. 6. Metaph. cap. i. tex. i. Zabar. lib. de nat. scient. constit. c. 2. uti etiam suprà in definitione iam dum tetigi: Dicitur verò, quatenus naturale, non per modum specificationis, sed reduplicationis, in quo formalis ratio subiecti consistit, ad excludenda principia & accidentia. Ethæc sufficient de constitutione Physicæ.

24. Nunc sequuntur Principia Physicæ intrinseca:
Quæ

Quæ cùm omnium rerum naturalium maximè communia sint, quippe quarum omnium sunt ortus, interitus, & variæ mutationes, ipsâ naturâ duce, èd deducimur, ut investigemus ipsarum primam originem ac constitutionē, id est, principia, ex quibus siant, consistantque; tum etiam permuteantur & corrumpantur.

25. Definit igitur Aristoteles i. Phys. cap. 5. tex. 42. *Principia ea causas, quæ neg. ex aliis sunt, neg. ex se mutuò; sed ex quibus aliæ res naturales oriuntur omnes.*

26. Denumero horum principiorum variæ etiam habentur opinione; Quidam enim unum tantum; Alii duo; alii tria, alii quatuor; alii etiam plura infinita & innumerabilia posuerunt Arist. i. Phys. c. 2.

27. Verùm cùm principia rerum prima debeant esse contraria, uti Arist. habet lib. 3. de cœl. à tex. 41. usq; ad 50. rectè cum eo Phys. i. c. 6. Statuimus tria tantum rerū naturalium principia, & his neq; plura neq; pauciora, videlicet materiam, formam & privationem, ubi materia est subiectum, è quo duo illa contraria se expellunt mutuò.

28. Aristoteles i. Phys. c. 9. tex. 82. definit *materiam primā subiectum cuiusq; rei, ex quo quodvis corpus naturale per se, & non secundum accidens generatur, & in quod resolvitur ultimum.*

29. *Forma est principium activum, id est, tale, per quod corpus operari etiam potest. & agere aliquid efficaciter.*

30. *Privatio vero dicitur carentia vel absentia forma alicujus in subiecto cum aptitudine materiæ ad illam formam.*


31. Privatio quidem non propriè dici potest principium, sed occasio quædam rerum generandarum, & causa, sine qua generari non posse videatur illa materiæ

habilitas à privatione profecta, ad aliam formam recipiendam: cui venienti cedit privatio. Et tantum de principiis, & tandem etiam de meo proposito.

M. M. Thes. No. 2.

C O R O L L A R I A.

1. An Syllogismi infiniti in prima figura sint affirmati vi
& boni? A.
2. An Propria possint communicari? A.
3. An Cælum supremum sit in loco? N.
4. An Extraducere anima corpori insfundatur? An per no-
vam quandam creationem? prius aff.
5. An Tractatio de Deo & Angelis contineatur sub objecto
Metaphysics? A.
6. An Angeli sint compositi ex materia & forma? N.
7. An omnis virtus consistat in medio? A.
8. An Ebrietati lex sit posita? N.
9. An Polygamia sit licita? N.
10. An furti pœna capitalis? A.



AD

11

* *

AD DOCTISSIMVM,

**DN. WERNERUM,
PHILOSOPHIÆ CANDIDATUM**
Amicum dilectissimum.

EXitium nobis licet horrida bella minentur,
Marsq; ad nos properet telacruenta gerens,
Devastatus palatia sacra sororum,
Docta q; Musarum vertere castra volens.
Te tamen à studiis, pietatis et artis alumnet,
Vellere non pollet, docte PHILIPPE, tuis.
Comprobat hoc ipsum tua dissertatio præsens,
Ingeniumq; sagax comprobat hocce tuum.
Hoc contestatur rigidiq; examinis æstus
Lumine solemni moxq; erit hocce ratum.
Jam dubiis contorta plicis quæsita parato
Solvito judicio dulcis amice tuo.
Sic tibi legitimâ titulum ratione parabis
Atq; Magisterii nomina docta feres.

*Amicitiae ergo lmq; apposuit
Johannes Tack, Wetzlariensis.*

Nonne

ALIUD.

Nonne vides, studia, ut turbas passim, inter arma,
 Disjecta hinc illinc, disquespat a jacent!
Tu tamen & studia urgendo, tum fortibus ausis
 Ad scholicam pugnam progredere in medium!
Perge ita, namque hoc est generosum & nobile pectus,
 Quod nec fortuna frangitur in vidiâ.
Audentem Deus ipse, magisq; magisq; iuvabit,
 Eque alto coeptis annuet, oro, tuis.
Quin etiam caput, ecce, tuum cum laude corona
 Cinget: honoratus quippe Magister eris.

Ita commensali suo suavissimo gratulabundus applaudefbat
Michael VVannenmacherus, Darmstato-Rhenanus.

F I N I S.

